

non creditos. 4. Si adverteas, tuam resistentiā, aut morionem non profuturam, quod contingere potest, vel quia audiens est longè inferior detractor, quia detractor est insolens; in a asensu, &c. imò sepe monitio potest esse excitatio ad majorem, aut ferventiorē detractionem. 5. Si non es moraliter certus, quod loquens loquatur injustè, & de gravi crimine occulto. 6. Si judicas, detrahentem habere justam causam, videlicet, ut consilium petat, ut summum dolorem leniat, ut te utiliter moneat, &c. 7. Si times grave damnum, vel graviter tua interest, te non reputari defendere insanatum. 8. Quando ex rationabili verecundia, aut pusillanimitate non audeas resistere, & infamia proximi non est in gravis, ut judices cum tanta tua difficultate impediatur. Ita fere Tamb. Ratio est, quia charitas non obligat eum gravi incommodo, sine necessitate, aut utilitate.

Scotus in 4. d. 15. q. 4. Maltrius in Theol. Mor. disp. 8. q. 3. Joan. la Cruz 7. & 8. præc. Bonac. tom. 2. de Resist. disp. 2. q. 4. 5. 6. & 7. Tamb. tom. 1. lib. 9. cap. 3. Busemb. lib. 3. tract. 6. cap. 1. Diana in pluribus locis. Mendo verb. Detrahitio. Clericatus cap. 104.

DE VIII PRÆCEPTO DECALOGI.

Non falsum testimonium dices.

MENDACIUM

2782. **E**ST, emunitio falsa cum conscientia operis, & cum voluntate fallendi. Est triplex: Perniciosum in damnum alterius: Jocosum ob delectationem, & Officiosum ob utilitatem. Perniciosum, si sit in damnum grave, est mortale; Jocosum, & officiosum regulariter est veniale, nisi sit adjuncta circumstantia, ob quam aliam virtutem à verita distinctam graviter lædat.

2783. Hinc venialiter peccat penitens, si negat peccatum veniale, quod commisit, aut fateatur, quod non commisit; quia solum veritatem lædit: at peccat mortaliter, si confiteatur veniale, quod non commisit, quodque sit materia totalis Sacramenti; quia cum nullam det veram materiam, facit Sacramentum nullum, & sic committit sacrilegium. Item à mortali non excuso Sacerdote, si dum sacris vestibus induitur, aut est indutus, proximè celebraturus mentiar, ob scandalum, quo audiens, mendacium advertens, posset Sacerdotes contemnere, & viles habere. Vide num. 143. & 1559.

TESTIS

2784. **Q**UI falsum testatur est sciens, tenetur se retractare cum æquali; & paulò majori suo damno; quia in æquali damno potior est ratio innocentis. At non tenetur se retractare, si sit mortaliter certus, retractationem non profuturam; quia nullus obligatur ad opus inutile; nec si testis fuit ultimus, & reus reperiatur sit convictus per alios testes. quia tunc non est causa efficiens damni. Nec cum suo damno longè altioris ordinis. Vide num. 2776. circa medium. Si vero falsum testatur est ignoranter, inadvertenter, & si

ne peccat mortali, tunc tenetur se retractare; at non cum notabili suo damno, etiam minori, sed est discurrendum, sicut de restitutione ex re accepta. Vide num. 2691.

De Reo, & Teste vide à n. 1740. & 1764. & fuisse in tom. 2. à n. 27. usque ad finem capit. præsertim n. 73.

CASUS DE INSTRUMENTO:

2785. **P**etrus amisit quoddam instrumentum publicum, & legitimum, v. gr. Testamentum, &c. an peccet graviter, si aliud simile privatim conficiat?

Resp. in foro externo hunc præsum falsarium, & puniri; quia de veritate non constat. In foro autem conscientie (de quo est sermo) non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter, docet Ardelekim tom. 2. part. 2. tr. 1. cap. 3. q. 13. pag. 149. cum Mendo in Statuta, dissert. 13. q. 17. Navar. cap. 17. n. 163. quia nulli damnum, aut injustitiam infert; sed solum peccat contra veritatem, non facti, aut scripturæ formalis, sed scripturæ materialis; quatenus proponit, scripturam illam materiale credendam esse instrumentum autoritate publica primò confectum. Plures apud Ardelekim eum à veniali, & à mendacio exculant. Idem tenent Bausius, & Sà, upud Anton. à Spir. s. tract. 5. de Jur. d. 1. sed. 9. n. 54. qui eos sequitur tantum quoad privatas scripturas; At in consultis pag. 117. nostrum sententiam probabilem vocans pluribus rationibus, & Authoribus confirmat.

SECRETUM NATURALE

2786. **I**mponitur, vel expressè, ut: Tibi dico sub sigillo confessionis, sub secreto naturali, ut nemini dicas, &c. vel implicite: Tibi dico, ut amicus pro consilio, ut dolorem leniam, &c.

2787. Obligat sub mortali, si res sit gravis considerationis, & ejus violatio cedat in grave damnum, aut in gravem displicitiam ejus, qui secretum commisit; quia tunc violatio secreti valde nocet societati humanæ, & est gravium discordiarum causa. Quod est verum, etiam uni, vel alteri viro prudenti dicas, si qui secretum imposuit, iis specialiter non voluerit secretum revelandum. Idem dic de litterarum injuriosa aperiitione, nisi prudenter præsumas auctorem litterarum non invitum, aut nisi id facias, ad vitandum grave damnum injustum, quod inde prudenter times.

2788. Magis peccat Secretarius, & Notarius publicus, qui tenentur ex officio, & sub juramento ad secretum. Non est peccatum revelare secretum naturale, etiam juratum; ad impediendum damnum publicum; aut tertie personæ innocentis, seu si secretum sit de delicto patrando. Est autem mortale illud revelare, si damnum sit jam secutum, & non pendeat in futurum. Vide n. 126. 1704. à 1733. ad 1736. 1633. 1696. & 1697. & tom. 2. num. 55.

Scotus in 4. d. 15. q. 4. lit. F. Maltrius in Theol. Mor. disp. 11. q. 9. Joan. la Cruz Supra. Busemb. lib. 4. cap. 3. dub. 4. 6. & 7. lib. 5. cap. 3. dub. 2. num. 6.

PARS

PARS TERTIA.

DE QUINQUE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

DE I. PRÆCEPTO.

AUDIRE MISSAM DIEBUS DOMINICIS, ET FESTIS DE PRÆCEPTO.

2789. **F**ideles, postquam ad usum rationis pervenerint, qui regulariter post septennium explem præsumitur, tenentur sub mortali audire Sacrum diebus Dominicis, & Festis de præcepto.

2790. Ad satisfaciendum huic præcepto quatuor requiruntur. 1. *Præsentia mortalis.* Hinc nec est necesse, quod actu audiat Sacerdotem, aut videat; nam mutus, surdus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfacit, si Sacrificio sit præsens, adeoque per auditionem Missæ, intelligitur actio, qua quis Sacrificio est præsens, ei quæ assitit modo humano, corpore videlicet; & mente, & in tali distantia, ut possit Sacerdotem videre ejusque ministerium, & actiones attendere. Unde non satisfacit, qui è fenestra suæ domus extra Ecclesiam sitæ, Missam, quæ intra Ecclesiam celebratur, audit; quia non est moraliter præsens. Assirunt tamen Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 14. & Clericatus cap. 109. num. 7. Similiter, nec qui extra januam Ecclesie positus, eam audiret; nisi id contingeret ob multitudinem nimiam populi, quam Ecclesia capere non valet; quia tunc censetur moraliter præsens ratione conjunctionis cum multitudine, cum qua constituit unum corpus morale sicut delium Sacro præsens, & assitens.

2791. 2. *Intentio.* Requiritur, inquam, intentio audiendi Missam saltem virtualis, aut interpretativa; quam vide in tom. 3. in Exam. Ordinand. à num. 206. unde qui in Ecclesia est præsens Sacro, non animo audiendi Sacrum, sed expectandi amicum, non satisfacit; quia actio illa intentionis est pure casualis, externa, & non humana; Ecclesia autem præcipit actum humanam, ac proinde voluntarium, seu actum mixtum ex externa auditione, & interna volitione. Vide num. 184.

2792. E contra, si audis, habens intentionem audiendi, non tamen satisfaciendi per illud Sacrum præcepto, sed ob devotionem; si postea aliud Sacrum non audias, satisficisti præcepto; quia præceptum vult auditionem humanam, animus autem non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, non facit, quin auditio illa fuerit humana. Tam quia aliud est loqui de animo non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, aliud de animo absolutè non satisfaciendi præcepto, quia hic, ut potè exclusivus actionis præcepta, est mortalis. Vide num. 185.

2793. Item, qui audit Missam ob devotionem,

ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud Sacrum, quia jam satisfecit, tam ob allatam rationem, quam ob virtutem intentionem satisfaciendi.

2794. 3. *Attentio.* Requiritur sub mortali. Diana, Card. de Lugo, Tamb. & alii volunt, sufficere solum attentionem externam, quatenus, dum quis assitit Missæ, non occupetur in aliqua actione externa moraliter impossibili cum auditione, v. gr. pingendo, scribendo, confabulando, &c. adeoque non obitare solum internam distractionem mentis etiam voluntariam; quia Ecclesia præcipit auditionem externam; & orationis substantia non dependet ab attentione actuali interna.

2795. Dico tamen, sub mortali requiri attentionem internam. Maltrius cum Cajetano, & Bonac. quia Ecclesia præcipiendo auditionem Sacri præcipit actionem humanam religiosam, qualis non est, nec auditio Sacri, nec oratio sine ulla profusa attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna. Omnino vide dicta à num. 186. & à num. 434.

2796. Attentio verò interna est triplex. 1. *Qua attenditur ad actiones Sacerdotis.* 2. *Qua attenditur ad significationem verborum.* 3. *Qua inde mens ad Deum elevatur, contemplando videlicet mysteria, quæ per actiones, aut Sacerdotis verba exprimentur.* Secunda attentio est melior, tertia est optima, sed sola prima est necessaria. Quia præceptum de auditione Missæ, non est de oratione, sed de assitentiâ Sacrificio. Requiritur igitur, ut saltem virtualiter, & ia confuso attendas ad actiones Sacerdotis. Unde est mortalis voluntaria distractio notabilis; sed si sit involuntaria, ut sæpè contingere solet; aut voluntaria, sed brevis. Vide à num. 441.

2797. 4. *Integritas:* unde mortale est partem notabilem omittere. Parvam partem putant communiter Doctores omittere à principio Missæ usque ad Epistolam exclusivè, & à communionem exclusivè usque ad finem; alii usque ad Evangelium exclusivè.

2798. Non satisfacit præcepto, sed mortaliter peccat, qui duas, aut quatuor Sacri partes simul à diversis celebrantibus audit; imò propositio affirmativa est damn. ab Innoc. XI. vide in pag. 5. Prop. 53. quia præceptum est de audienda una integra Missa; quæ declaratio satis colligitur ex ipsa damnatione Pontificis ex Cathedra loquentis; qui enim plures partes Sacri simul à diversis celebrantibus audit, non

Kk

di

dicitur audire unam integram Missam, sed plures partes plurium Missarum; nulla integra.

2799. Eadem ratione non satisfacit, qui duas partes successivè à diversis celebrantibus audit, v. gr. à consecratione usque ad finem ab uno, & postea ab initio usque ad consecrationem ab alio; unde opinio affirmativa in casu auditionis plurium partium à diversis successivè, mihi videtur virtualiter in damnatione recentis propositionis 53. comprehendi; quia eadem est ratio.

2800. Unica auditione Sacri non satisfacit quis duplici præcepto pro die præsentis, & crastino, quia Ecclesia singulis diebus actiones distinctas præcipit: unde sicut præceptum jejunii, singulis diebus distincta jejunia intendit, & præceptum recitandi officium distinctas recitationes, ita præceptum de audiendo Sacro distinctas auditiones: & sicut proposito assensus, quod unico officio quis satisfaciat duplici præcepto pro die præsentis, & crastino, est damn. ab Alex. VII. ut in pag. 3. Prop. 35. Ita est virtualiter damnata propositio id assensus de auditione Sacri, aut jejunio.

2801. Audientes autem Missam Summi Pontificis ante mediam noctem Natalis satisfaciant præcepto; quia ex fictione juris, seu ex dispositione Summi Pontificis censetur pertinere ad diem sequentem: sic dies vesperina hæsterna moraliter reputatur à jure hodierno in ordine ad recitandum matutinum hujus diei, non sic in ordine ad laborandum die festo. Ita Tamb. tom. 2. pag. 439.

2802. Dum quis audit Missam, recitare potest, nedum orationes ex devotione, puta Rosarium, Officium Virginis, &c. ut vult communis; sed etiam de præcepto, nempe Officium Divinum, vel ratione voti, aut penitentiæ. Clericatus cap. 109. num. 8. Diana part. 2. tract. 12. ref. 2. quia hæ rationes non impediunt præsentiam, & attentionem sufficientem ad utrumque: imò per utrumque audiens est magis cum Deo, quia oratio magis reddit mentem attentam ad Deum, & impedit involuntarias divagationes ad impertinentia contingere solitas. Et parùm interest, quod oratio sit præcepta, vel non præcepta, ad hoc, ut attentionem sufficientem impediatur, vel non impediatur.

2803. Durante tamen Sacro, non potest quis confiteri. Azor contra Bonac. quia confessio non est oratio, sed accusatio, & actus iudicii, omnino disparatus, & attentionem ad Sacrum impediens. Affirmat Clericus cit. si citò se expedit, putat usque ad Evangelium.

2804. Qui manè discedit è loco, ubi festum colitur, accessurus ad locum, ubi non colitur, non tenetur prevenire per Bonac. & alios, quia præceptum non est affixum determinate horæ, sed extenditur ab aurora usque ad meridiem. Dico tamen, quod tenetur prevenire, si sine gravi incommodo potest; quia prævidens impedimentum proximum futurum adimpletionis præcepti, tenetur eam prævenire, si sine gravi incommodo potest, alioquin

censetur velle malitiosè transgressionem. Vide hic n. 2900. & 2903. tom. 2. n. 725. & tom. 3. n. 285.

2805. Excusat ab auditione Sacri die festo rationalibus causis; quia præcepta positiva Ecclesiastica, ut potè ex benigna Matre, non obligant cum tanto rigore.

2806. Excusat 1. Impotentia physica: hinc excusatur infirmus, aut detentus in carcere. Vide num. 456. & 457.

2807. 2. Impotentia moralis, seu gravis difficultas: hinc excusatur: Qui prudenter grave damnum sibi, aut aliis timet, si exeat: Qui gravem difficultatem habet, ob notabilem distantiam ab Ecclesia, & pluviam: Gravidæ, si graviditas sit periculosa: Mater, si non habet cui relinquere infantulum, nec possit secum ducere, qui aliàs solus domi pati posset periculum; persona, quæ habet infirmos domi, qui possent pati periculum, & non habeat cui relinquere: Qui debet gravia negotia expedire, quæ commodè differre non potest: Qui iter agens Sacrum audire non potest, nisi amittat socios, sine quibus prudenter timet latronum periculum, aut aliud malum: Mulier honesta, quæ caret habitu honesto, qui non obligatur accedere cum gravi sua confusione: curare tamen debet, ut accedat valde manè, quando populi concursus esse non solet; si id sine gravi incommodo, aut confusione facere potest.

2808. 3. Officium. Hinc excusantur milites qui castrum, aut portas Civitatis custodiunt, si sine periculo suo muneri deesse non possunt. Pastores ovium, & armentorum. & similes, si ex absentia periculum timent, quod quidem regulariter contingit; qui tamen, si sint plures, curare debent, ut relicti uno, aut pluribus, quot sufficiens ad custodiam, accedant alii ad Sacrum: & sic faciant ad vicem, vel diversis horis ejusdem diei, vel diversis festis; juxta loci propinquitatem, aut distantiam.

2809. 4. Consuetudo. Hinc excusantur mulieres si ex consuetudine patriæ egredi non soleant tempore luctus, aut post partum, per dies purificationis, dummodo non exeat ob alias causas. Consuetudo mulierum (ubi est) manendi primo anno viduitatis domi, ita ut neque diebus festis exeat ad audiendum Missam, est ad Episcopos, uti irrationabilis, & exorbitans extirpanda.

2810. 5. Censura. Hinc, qui est ligatus excommunicatione majori, aut interdicto, nec tenetur, nec potest sine mortali Missam audire.

Tempore autem interdicti habens Bullam peccat mortaliter, si die festo omittat Sacrum; quia tenetur implere præceptum, quando potest; sed tunc potest, nam per Bullam potest audire Sacrum tempore interdicti: igitur.

2811. 6. Inadvertentia; quia inadvertentia, aut oblitio æquivaleret ignorantie invincibilis, adeoque excusatur à culpa. Vide num. 460.

2812. Quæres: In Villa, ubi est unus Sacerdos, die festo, Petrus accedit ad Ecclesiam, & reperit Sacerdotem

tem pervenit ad Præstationem, an teneatur audire reliquam Missam? Negat Ledesma, & Joan. Sanchez; quia per relinquant partem hujus Missæ non potest implere præceptum, quod est de integra.

Resp. teneri Moya, & Ardekin: quia pars ista à Præstatione ad finem est principalis, nam in ea continetur essentia Sacrificii, nempe Consecratio, Oblatio, & Consumptio. Prior verò pars est purè integralis, & accessoria; principale autem non sequitur accessorium, sed è contra; adeoque Petrus tenetur ad illam audiendam.

Scotus in 3. d. 9. q. 2. artic. 1. C. Mastrius disp. 11. q. 2. art. 1. Joan. la Cruz 3. Præc. art. 2. Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 2. Leander de Præc. Eccl. tract. 2. disp. 1. & 2. Busemb. lib. 3. tract. 3. cap. 1. dub. 3. Clericus cap. 47. & 109. Mendo verb. Missa.

DE II. PRÆCEPTO ECCLESIE

Jejunare in Quadragesima, Vigiliis, & Quatuor Temporibus, & non comedere carnes diebus Veneris, & Sabbati.

JEJUNIUM

2813. Ecclesiasticum quoad substantiam consistit in unica questione per diem cum abstinentia à carnibus.

2814. Majoris meriti est jejunium ex præcepto, aut voto, quàm spontè factum, seu ex consilio: sic de aliis præceptis, quia jejunium spontè factum, hoc est sine præcepto, aut voti onere, habet meritum solius virtutis temperantia; factum verò ex voto, habet meritum Religionis, quæ est melior temperantia; & factum ex præcepto habet meritum obedientia, quæ ex 1. Regum 15. v. 22. est melior victima, & temperantia; quia est species virtutis justitia, qua Superiori præstamus, quæ debemus. Hinc in Evangelio dicitur: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et Regius Pfaltes Vota consilii dicens: Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius afferitis munera. Et necessitas illa ex voto, & præcepto non est necessitas conditionis, sed obligationis in Dei cultum, quæ plenam libertatem executionis minimè tollit.

DE TEMPORE.

2815. Hoc præceptum obligat sub mortali ad jejunandum diebus ab Ecclesia præscriptis. Vide pag. 2. prop. 23. ab Alex. VII. damn. nempe diebus Quadragesimæ, quatuor Temporum, & Vigiliarum.

Horam comestionis, quæ est circa meridiem, notabiliter sine causa prevenire, non est mortale, sed veniale; imò nullum, si ex causa; quia tempus comestionis non est de substantia jejunii. Idem dic, si collatio faciendæ feræ, fiat manè, & comestio feræ.

2816. Crenans die Jovis, si dubites, an sit hora mediæ noctis, potes comedere carnes; quia est in possessione, libertas edendi. Si id dubitas die Sab-

bati, teneris abstinere, quia est in possessione præceptum abstinendi, utpote prius dubio.

QUÆRES I:

2817. An liceat prosequi jejunium pro jejunio Ecclesiastico, & aliud pro jejunio naturali ad communionem?

Negat de Lugo; quis eo ipso, quod quis unum horum libere accipit, videtur renuciare omnibus aliis. Affirmat Diana p. 10. tract. 15. ref. 29. cum Dicaltillo, qui ait: In hoc enim casu mutat quidem sententiam, & variat horologia, sed non ex primaria intentione variationis; quia sic esset atrociter confusio; cum agatur de duobus præceptis: sed ex accidenti, quatenus nescimus aliam esse regulam præter unicam primæ horologii, illam capiti sequi, postea verò se accommodat alteri regulæ, quam videt probalem.

QUÆRES II:

2818. An liceat die Dominico jejunare? Quantum est ex se, licitum esse ostenditur, ex cap. Vinam, dist. 26. Vinam enim tempore jejunare possumus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes scilicet legimus.

2819. Attamen circa hoc, quod est ex se licitum, errores, & superstitiones immiscuere hæretici. Nam Manichei, in contemptum Resurrectionis Domini, dixerunt, Jejunium die Dominico necessarium esse. Aerius, & Erasimus, è contra apud Alphonsum de Castro verb. Jejunium, volebant, jejunia non esse aliquos, & statuo tempore instituenta, sed quælibet spontè jejunare debere, & quando voluerit.

2820. Ob quas hæreses superstitiones, & alios errores in Can. 65. Sabbatum, uno solo tempore, jejunare deprehendatur, deponitur; sin laicus è communionem, ejiciatur. Et in cap. Quadragesima, de Consecratione, dist. 3. Ecclesia à Quadragesima dies Dominicos excipit. Et in cap. Ex parte, de Observ. Jejuniorum. Si jejunium alicujus Vigilia in diem Dominicam incidat, anticipari præcipit præcedenti Sabbato, ne videamur judaizare, & ne dentur manus erroribus, ac ut majori læticia Deum, atque Sanctos diebus solemnibus recolamus.

2821. His de causis Urban VIII. 14. Octob. 1638. declaravit, quod, quando Vigilia S. Joann. Bapt. incidit in festo Corporis Christi, anticipandum sit jejunium feria quarta: Et quod dies festus hujusmodi, quo tantum Sacramenti institutio summa totius populi Christiani læticia recolitur, è principalibus anni festivitatibus existat.

2822. Idem debet disponere Episcopus, si in festo solemni alicujus Patroni Principalis, Vigilia occurrat, Sanchez in Consiliis, lib. 5. d. 5. num. 7. Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 6. dist. 2. sect. 5. num. 130. Fagnanus lib. 3. Decretal. S. C. Consilium, de Observ. Jejun. num. 31.

Hac ratione Panormi jejuniū Vigilæ D. Jacobi, quod contingit in festo natalis S. Christinæ transferatur in diem præcedentem.

2823. At non potest Vigilæ sic transferri ab Episcopo, si contingat aliquo die bacchanalium; quia tunc non habetur causa sufficiens transferendi, sed potius jejuniū ab Ecclesia tunc præscriptum monendi ad magis cobibendum petulantiam carnis. Et Ecclesia Vigilæ transferri non consuevit, nisi ob causas relatas, quæ locum non habent die bacchanalium. Leander de Præc. Eccl. tit. de Observ. Jejuniæ, 5. disp. 10. quest. 42.

His accedit Decr. S. Rituum Congr. 23. Jan. 1694. Jejunandum esse eadem die Vigilæ S. Marthæ, non obstante, quod contingat ultima die bacchanalium.

2824. Insuper non esse jejuniandum Dominicis diebus, decernitur in cap. Ne quis jejunet, de Consecr. dist. 3.

2825. Denique S. Congr. Univ. Inquis. Rom. anno 1686. præcepit, ut nullo pacto ex devotione, etiam B. Virginis imponatur jejuniū, quod indifferenter amplectatur dies Dominicis, & festivos solemnes, puta faciendum una die hebdomadæ totius anni, utpote, quod sit contra usum, & praxim Ecclesiæ; non impedit autem, si jejuniū commutetur eo die festivo in aliam mortificationem, aut ad alium diem transferatur. Dicta dispositio S. Congr. asservatur in Archivo nostræ Provinciæ.

2826. Idem est dicendum de voto jejuniis, adeoque votum jejuniandi ordinariè diebus Dominicis, aut cum aliquo singularitatis studio; v. gr. ex septem diebus hebdomadæ jejuniandi die Dominica est nullum, utpote de materia illicita; itaut neque sit transferendum; quia tale jejuniū est cultus superstitiosus, falsus, & superfluus, ait Cajet. 22. 2. q. 93. art. 1. verb. In sequenti verbo. Unde est suspectus de hæresi.

2827. Hinc qui vovit jejunare per annum ea die hebdomadæ, qua sit festum Annuntiationis, sed expressè habuit intentionem comprehendere dies festivos solemnes, aut dies Dominicis, quatenus festum die Dominica venit; non tenetur ad jejuniū, nec anticipare; quia fuit de materia illicita. Si verò non habuit hanc expressam intentionem, sed intentionem rectè jejuniandi, ob verum cultum, & devotionem (quod in dubio est præsumendum) tunc validum est votum, sed debet, occurrente festo solemni, aut Dominico, anticipare jejuniū; quia intentio voventis, utpote recta, præsumitur fuisse de jejuniando juxta usum, & morem Ecclesiæ.

2828. Thomas Delbene part. 2. de Inquis. dub. 219. sect. 4. num. 7. Alarius lib. 3. de Voto. num. 69. & Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 37. num. 16. addunt: Quod secus dicendum sit, si fuerit votum jejuniandi solis aliquibus diebus Dominicis ob beneficium, aut honorem aliquem finem, secluso scandalo, & omni alio pravo mortali sine; & etiam secluso vero singularitatis

studio; quia tunc est votum de re licita. Eo maxime, quia nunc haud amplius vigent præmissæ hæreses.

QUÆRES III:

2829. An præceptum jejuniis qualibet sexta feria, quod habent ex Regula Fratrum Minorum, obliget, etiam si feria sexta contigerit festum Natalis Domini?

NON obligare, tenet Melphi in Comment. cap. 3. stat. 13. q. 5. cum Diana, Bonac. Fagundez, & aliis apud ipsum, ac novissimè Gobar tom. 3. de Voto. num. 115.

Ratio est, quia Præceptum Regulæ de jejuniando qualibet sexta feria, cum in eo non exprimatut festum Nativitatis, intelligitur factum juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ eo die cunctos fideles à communi obligatione abstinentiæ à carnibus dispensat.

2830. Unde ad textum Honorii III. qui in contrarium adducitur, respondetur, ibi esse sermonem de iis, qui sunt adstricti voto jejuniis expressè comprehendente diem Natalis, aut Regulari observantia de vita Quadragesimali, ut Fratres Minimi, qui proinde eo die abstinere debent à carnibus. Nos autem non tenemur ad jejuniū feria sexta ex voto, sed ex præcepto. Nec dictum præceptum Regulæ mentionem facit de die Natalis Domini.

2831. Nec demum consuetudo in contrarium obstat; quia statuta Ordinis, & consuetudo Religionis, etiam autoritate Apostolica roborata, ex Declar. Sixti IV. (qui fuit post Honorium) per Bullam 26. Circumspecta 1. Decembris 1480. apud Bullarium Rodr. tom. 1. pag. 361. non obligant culpa mortali, sed sub poena exteriori. Bulla est tenoris sequentis:

Sixtus, &c. Circumspecta, &c. Sanè pro parte dictorum filiorum Ministri Generalis, & universorum Fratrum Ordinis Fratrum Minorum, nobis nuper exhibitæ petito continebat, quod licet multis Fratribus ejusdem Ordinis satis durum, & difficile sit Regulam B. Francisci tenere, ac ad suarum salutem animarum sufficere videatur, Regulam ipsam laudabiliter observare: nihilominus, quia nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri, & alii, ac etiam Generalis, & Fratres ipsius Ordinis fervore devotionis accensi ultra dictam Regulam nonnulla statuta, & ordinationes suæ constitutionis fecerunt, per quæ alia eisdem Fratribus prohibentur, utpote comedere carnes in Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu-Christi, & Pentecostes, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ceterisque aliis festivitibus, & diebus; quædam verò alia ipsis præcipiuntur fieri sub excommunicationis poena, vel aliis Censuris Ecclesiasticis, seu aliis poenis, quas contra facientes ipso facto incurrunt; multi propterea dicti Ordinis Fratres contra faciendum censuris, & poenis taliter latis sæpè numero involvuntur, & illaqueantur: unde statuta, & ordinationes prædictæ potius ad animarum suarum dispensandum, quàm salutem ædificandam videntur. Verum

QUÆRES IV:

2835. An Moniales S. Clarae teneantur sub mortali ad jejuniū Regulæ, nempe Adventus, & feria sexta?

PRO Clarissis duæ sunt editæ Regulæ. Prima fuit tradita à S. P. N. Francisco, approbata ab Innoc. IV. 16. Sept. 1153. Constat. 12. in Bullario tom. 1. in duodecim distributa Capitula, in quorum tertio imponitur jejuniū perpetuum.

2836. Secunda fuit disposita ab Urban. IV. 1263. Quæ incipit Beata Clara, ut in Constat. 7. in tom. 1. Bullarii, & divisa in 26. Capitula, in quorum undecimo fuit moderatum jejuniū, & impositum à festo Nativitatis B. Virginis ad Festum Resurrectionis Domini, & feriis sextis.

2837. Denique plenas manus dedit Eugenius IV. Nonis Febr. 1446. Constat. 28. apud Bullar. Cherubini, quæ est 31. apud Bullar. Rodr. tom. 1. pag. 245. & 2. apud Constat. & incipit Ordinis tui, per quem ad supplicationem S. Joannis de Capistrano, tunc nostri Ordinis Vicarii Generalis, jejuniū benignius moderavit, plura dubia præmissæ Regulæ declaravit, & obligationem peccati mortalis ad sola quinque puncta restrinxit, eam à reliquis præceptis amovendo. Et quia hæc Bulla est norma, & mensura totius Regulæ D. Claræ, à Directoribus præ oculis habenda, ad tollendos serpulos, atque errores, qui ex conscientia erronea possent contingere, operæ pretium duxi, eam hic apponere. Est igitur, ut sequitur:

Eugenius, &c. Ordinis tui, &c. Præterea cum in Regula Beatæ Claræ jubetur jejuniū perpetuum, quod nimis rigorosum tenemus; placet, & volumus, quod supradictæ, & Tertii, & aliorum Ordinum Sorores solummodo teneantur ad illa jejunia, ad quæ vos Fratres Ordinis Minorum Regulam observantes, obligati estis, & eosdem modos servant in cibis Quadragesimali tempore, exceptis debilibus, & infirmis. In aliis verò jejuniis, ut sunt quatuor Tempora, Vigilæ Apostolorum, & similia, servetur consuetudo Religionis, secundum quam liceat eis etiam ova, & lactinia comedere. Cum etiam in Monasteriis Sorores, sive Monachæ incendant nudis pedibus discalceatæ, quod nimis rigorosum existimamus; placet, & volumus, quod Sorores, sive Monachæ possint deferre illa, quæ nomine calcementorum non censentur, puta cuquos ligneos, & sandalia, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta. Item cum in aliquibus Monasteriis, locis, & Congregationibus injungatur silentium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum existit: tibi tuisque in locis successibus, & Provinciarum vobis subjeclarum Vicariis cum discretorum consilio dispensandi, tam in cibis, quàm in quibuscumque aliis perpetuis, quàm in silentio supradicto, concedimus facultatem. Insuper cum dilectus filius Frater Joannes de Capistrano tuus in Vicariatus officio prædecessor declaraverit, quod in Regula prima Beatæ Claræ continetur centum,

rùm si censura, & poenæ prædictæ in contra facientes, ut præfertur, ipso facto latæ in comminatorias, & intelligendas; & temporales poenas mutarentur, profectò saluti plurimorum opportune consulere. Quare pro parte Ministri, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis in præmissis opportune providere de benigntate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium animarum dispensiis libenter obviamus, eorumque salutem sinceris desideris exoptamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, autoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, atque decernimus, quod Ministri, Custodes, Guardiani, & Fratres dicti Ordinis præfentes, & qui pro tempore fuerint, ex statutis, seu consuetudinibus, vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam quomodolibet, & à quibuscumque editis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, illis contra faciendum nulla Ecclesiastica censura, nulloque mortali peccati vinculo ligari valent, nec censuras, nec poenas, seu mortale peccatum hujusmodi incurrant, nisi tales essent casus vel excessus, qui divina lege, seu præcepto Romanæ Ecclesiæ merito inducerent ad mortale: censuras, & poenas taliter latas harum ferie revocantes, & annullantes, illaque ad vim comminationis poenarum comminatoriarum, & forendarum, seu corporales, & temporales poenas prædictas per Generalem Ministri, Custodes, Guardianos, & alios Prælatos ipsius Ordinis ferendas, & intelligendas reducetes, &c. Non obstantibus statutis, ordinationibus, & declarationibus præmissis: quibus quoad hoc expressè derogamus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non aliis statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque.

2832. Et Pater Uvadingus ad annum 1215. refert, S. P. Franciscum super hoc à Fratribus interrogatum respondisse: Non solum homines puto die illo carnes manducare posse, verum etiam parietes, si vesci possent, abundanter eis ministrandas velim, vel de foris carnibus leniendos.

2833. Obligari docent nostræ Regulæ expositores, Corduba, Miranda, Rodr. Port. & alii apud Melphi cit. & ex exteris Fagnanus, lib. 3. cap. Explicari 3. de Observ. Jejuniarum. Ex Declar. Honorii III. cap. Explicari 3. de Observ. Jejun. lib. 3. Qui Episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit: Explicari per Sedem Apostolicam postulasti, &c. Respondemus, quod illi, qui nec Voto, nec Regulari Observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Domini, die ipso venire contigerit, carnis propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen in reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.

2834. Cui declarationi accedit consuetudo, & praxis totius nostræ Religionis; unde non est ab hac sententia recedendum.

& triginta tria præcepta regularia, in quorum transgressione Moniales, sive Sorores professæ peccatum mortale incurrun: idque nimis durum, & periculosum judicamus: auctoritate, & tenore præsentium declaramus; & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientia scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ; & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurran.

2838. Ubi Pontifex, quantum ad rem nostram de jejuniis duo disponit, videlicet primò obligationem temporis, secundò obligationem peccati; prius namque jejuniis perpetuum in prima Regula Monialibus præscriptum reducit ad tempus, & numerum jejuniorum Fratrum, ita ut solum teneantur ad jejunia Fratrum Minorum de Observantia, nimirum feriæ sextæ, & Adventus à die omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini exclusivè. At non sub mortali, sub quo sunt obligati Fratres; nam postea descendendo ad obligationem peccati centurum præceptorum dictæ Regulæ numero centum, & trium, quæ refert, & inter quæ sub Capitulo tertio est jejunium, subdit:

Tenere præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientia scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurran. Ubi habetur expressa exceptio, & positiva aliorum præceptorum exclusio, inter quæ est jejunium: exceptio autem firmat regulam in contrarium.

2839. Confirmatur; quia verba posteriora Bullæ, in quibus est sermo de obligatione peccati; referuntur ad priora, nimirum ad omnia præcepta dictæ primæ Regulæ; imò expressè recensentur sub numero centum trium, adeoque referuntur ad jejunium, quod in dicto numero continetur, & consequenter per priora verba, quod Moniales teneantur ad jejunia Fratrum, solum disponit Pontifex de obligatione temporis, minimè de obligatione peccati; alioquin in posterioribus verbis, per quæ cætera omnia præcepta, præter quatuor expressa, ab obligatione peccati mortalis excludit, sibi contradiceret, quod non est dicendum. Per priora igitur verba Pontifex modificavit jejunium quoad tempus, de perpetuo in temporaneum, uti est in Fratribus; per posteriora verò alterius modificavit jejunium quoad peccatum. Hinc per priora verba expressit tempus (ut constat) per posteriora obligationem peccati.

Vide num. 428. 429. & 464. Et hæc sunt satis pro notitia obligationis Regulæ Clarissimum, in super Sororum Tertii, ac aliorum Ordinum D. Francisci, quæ tamen licet de benignitate Apostolica sint à mortali culpa liberatæ, sunt enixè monendæ super observantia præceptorum Regulæ, maxime jejuniorum, tempore, quo solent jejunare Fratres,

DE INTERRUPTIONE.

2840. Si ad satiætem te reficisti, & linteolum applicasti cum animo amplius non comedendi, si postea aliquid occurrans comedas, non violas jejunium, si non sit elapsus notabiliter quadrans; quia per tam breve tempus non habetur moralis interruptio.

2841. Si autem evocatus, aut ob negotium menti occurrens comestionem interrumpis, cum animo eam postea proficendi, majus tempus requiritur ad interruptionem moralem, quæ jejunium frangat; unde non frangis jejunium, si interrumpas per horam.

2842. Similiter pauperes non frangunt jejunium, si plures interruptiones faciant; ob plures comestiones, quæ ad unam justam refectionem sufficiant.

DE QUANTITATE.

2843. Peccato mortali excusat parvitas materia. Quoad carnem, parva quantitas est illa, quam coquus de necessitate gustare debet, ut discernat, an sit bene apta; quoad alios cibos, duæ uncia. At, si quis sæpius intra eandem diem quid modicum comedit, advertat in fine; notabilem quantitatem se comedisse, frangat jejunium; quia plura illa modica intra eandem diem continuantur moraliter; minimè, si intra diversos dies. Vide num. 20. 26. & in pag. 3. prop. 39. ad Alex. VII. damn. Diana p. 5. tr. 5. ref. 52.

2844. A veniali excusatur, qui ob urbanitatem, aut preces amici quid modicum sumit.

2845. Qui manente comestione medicamen aliquod sumit, jejunium non frangit, quia ea non est comestio, sed medicina.

2846. Qui pluries in die quid notabile comedit, peccat solum mortaliter in secunda comestione, & non in sequentibus; qui verò pluries carnes comedit, peccat toties quoties comedit; quia præceptum de jejunio est præceptum dividuum, continens scilicet duo præcepta partialia, unum affirmativum de unica comestione, quod non obligat pro semper, alterum negativum de non comedendis carnibus, quod obligat semper, & pro semper. Per secundam, inquam, comestione, quis sit impotens ad servandum præceptum de unica comestione, & sic non peccat per reliquas comestiones; quia non peccat qui non observando præceptum, quod servare non potest. Post quamlibet autem comestione carnis, adhuc est quis potens ad servandum præceptum de non comedendo carnes, & ideo quoties carnes comedit, toties peccat.

2847. Qui quantitatem notabilem particularum consecrarum sumeret, jejunium frangeret, quia esset comestio, notabile, & substantiale nutrimentum afferens, supplente Deo defectum naturalem substantia panis. Diana p. 5. tr. 5. ref. 11.

DE

DE QUALITATE.

2848. Extra dies jejunii prohibetur fidelibus comedere carnes diebus Veneris, & Sabbati, nisi eo die contingat festum Natalis Domini. Nomine carnis etiam venit jus carnis; non prohibetur autem ova, & lacticia; nec consuetudo, quæ in hoc adest, obligat sub mortali, quia est introducta ex devotione, non animo obligandi; ita namque tenet communis Doctorum mens: unde monendi sunt simplices, ne peccent ex conscientia erronea. Vide num. 486.

2849. Tempore Quadragesimæ prohibentur non solum carnes, sed etiam ova, & lacticia, ex consuetudine obligante ad mortale, sic acceptata ex communi Doctorum sensu, & determinatione Ecclesiæ. Vide in pag. 3. Prop. 32. ab Alex. VII. damn. & num. 2857.

2850. Imò tempore Quadragesimæ prohibentur ova, & lacticia, non solum diebus jejunii, sed etiam diebus Dominicis, ex cap. Denique 6. & ult. d. 4. Vide num. 2857.

Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus: à lacte videlicet, caseo, & ovis. Par est ratio; quia abstinentia à carnibus, & lacticiis est præceptum negativum. Item in sexta Synodo Constantinopolitana generali celebrata anno 681. ubi Can. 56. sic dicitur: *Accepimus, in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis, & Dominicis sanctæ Quadragesimæ, quosdam ova, & caseum comedere: Visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesiæ, quæ est in universo terrarum Orbe, unum ordinem sequens, jejunium persiciat: & abstinere, sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis, & caseo: quæ quidem sunt fractus, & fœtus eorum, à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sunt Clerici, deponantur; si laici, segregentur.*

2851. In aliis autem jejunii extra Quadragesimam, nempe quatuor Temporum, & Vigiliarum non sunt prohibita ova, & lacticia: idem die de jejunii ex voto, poenitentia, aut Jubilæo. Doctores citandi num. 2859.

2852. Potus etiam vini non frangit jejunium; quia non est comestio. Hinc multum non frangit jejunium, bene verò succus, quem quis ore sumit ex ova; quia ille sumitur per modum potus; ille per modum cibi, & comestione. Idem die de succo maiorum punicorum, de peponibus, & similibus.

QUÆRES:

2853. An Fratres Minores in jejunii ex præcepto extra Quadragesimam, Adventus, & feriæ sextæ teneantur sub mortali abstinere ab ovis, & lacticiis?

A Firmat Melphi in Camp. cap. 3. tract. 13. quest. 1. & 2. in locis, ubi est consuetudo abstinendi, ut in Italia: fetus in aliis Regionibus, ubi non est consuetudo abstinendi. Ita quatuor Magistri, & Moderni expolitores Regulæ. Corduba, Poli-

tius, Longus, quos refert, & sequitur Melphi. cit. quest. 2.

2854. Tota ratio est consuetudo. 2855. Firmari tamen potest statuto Ordinis. Salmant. Vallis. & Romano cap. 3. s. 6. num. 1. pag. 72. Tempore, quo Fratres ex præcepto Ecclesiæ, vel Regule nostræ instituto jejunandum est, non solum ab ovis, & carnis, sed etiam ab ovis, caseo, & lacticiis aliis abstinendum est. Quod statutum videtur obligare ad mortale; quia est declaratorium Regule, ex facultate Eugenii IV. concessa Capitulo Generali declarandi Regulam, quam facultatem refert Corduba cap. 3. q. 2. s. Quartum punctum.

2856. Si autem, quid ego sentiam cupis, Judicium ferre nolo; intellectum tamen meum discurrendi gratia, tibi aperiam.

Est quidem nulla mihi videtur obligatio mortalis. Ostendo: Talis obligatio abstinendi ab ovis, & lacticiis in jejunii extra Quadragesimam, uti funt jejunia Adventus, & feriæ sextæ, vel oritur ex natura jejunii Ecclesiastici, vel ex præcepto Regulæ, vel ex consuetudine; autem ex his dici potest.

2857. Non primum; quia si abstinentia à lacticiis esset de natura jejunii Ecclesiastici, non flaret jejunium Ecclesiasticum cum lacticiis; certum autem est, quod fiat; quia comedens lacticia tenetur jejunare. Ita Com. Unde jejunium Ecclesiæ non includere ex sui natura abstinendum ab ovis, & lacticiis, docent ex nostris Villal. part. 1. tract. 23. diff. 2. num. 7. & Port. verb. Jejunium, in Addit. n. 7. cum Sanchez, Leander à Murcia, q. 9. super cap. 3. Regule D. Francisci, & Melphi cit. vers. Circa quorum Ex Summis verò, & Canonis tenet communior, nempe D. Thomas, Bonac. Filliuc. Diana, Tamb. & innumeris aliis apud Leandrum de Jejunio tract. 5. q. 4. & 5. diff. 3.

Imò Port. num. 8. addit, Jejunium Quadragesimale non includere in se abstinentiam à lacticiis, sed eam esse distinctam quasi præceptum, ex cap. Denique 6. diff. 4. Hinc qui in Quadragesima frangit jejunium, & lacticia comedit, duo distincta peccata committit; & cessante ex aliqua causa præcepto jejunii, non cessat exinde præceptum abstinendi à lacticiis. Vide num. 2871. & 1850.

2858. Non secundum; quia præceptum Regulæ cap. 3. non exprimit abstinentiam à lacticiis, sed purum jejunium: *Jejunent à festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, &c. aliis autem temporibus non teneantur, nisi feriæ sextæ, jejunare.* Adeoque cum simus in odiosis, & lacticia sint (ex probatis) composibilia cum jejunio, ac in præcepto non exprimentur, sed eo non comprehenduntur.

2859. Hinc jejunia ex voto, Jubilæo, & poenitentia non obligare ad abstinentiam à lacticiis, nisi exprimat, docent Tamb. de Jejunio, tom. 1. lib. 4. cap. 5. s. 1. num. 25. Diana, Azorius, & alii communiter. Jejunium autem Regulæ extra Quadragesimam, vel est votum, vel purum præceptum (ut probabilis teneo) non plus obligans, quam votum.

In-

2860. Insuper statutum, *num.* 2855. cit. expressè prohibet usum lacticiuniorum in Communitate, ut liquet ex verbis, quæ immediate subdit: *Superiores verò locorum, qui aliter in Communitate fieri fecerint, aut permiserint, suffragiorum jure, arbitrio Provincialis, priventur.*

2861. Idque non sub culpa mortali, sed sub pena statutaria. Quia statuta Ordinis, & consuetudines Religionis, etiam autoritate Apostolica roborata non obligare sub mortali, constat ex Bulla Sixti IV. *num.* 2831. relata, quam sequitur, ac docet communis Expositorum cum Melphi in *Com. cap. 2. stat. 71. quæst. 1.*

2862. Falsum autem est, Eugenium IV. concessisse Capitulo Generali facultatem declarandi Regulam. Primò, quia Eugenius IV. per vivæ vocis oraculum, quod refert Rodr. in Bullario, *tom. 1. in fine Bullarum ipsius Eugen. pag. 248. num. 1.* declaravit, nullum statutum, nec antiquum, nec novum obligare Fratres sub culpa mortali, aut censura; quomodo igitur potuit sine contraditione dare facultatem Capitulo Generali condendi statutum obligans ad mortale?

2863. Secundò, quia facultas declarandi Regulam solum residet apud Sedem Apostolicam, minimè apud Capitulum Generale. Et expositiones Doctorum solum faciunt opinionem probabilem. Longus *contr. 1. sect. 4.*

2864. Tertio, quia id esse falsum, aperte liquet legenti concessionem ipsam, quam refertur Corduba *cap. 3. q. 2. §. Quartum punctum.* Sorbo in *Comp. verb. jejuniun, & Melphi cap. 3. stat. 13. q. 2.* cujus verba sunt: *Eugenius IV. concessit Capitulo Generali facultatem ordinandi, & declarandi, in quibus locis, & Provinciis Fratres debeant jejunia Regule in cibis Quadragesimalibus observare, & in quibus debeant Parvum consuetudinem imitari, vel aliter se habere.* Ubi (ut vides) non dedit facultatem declarandi Regulam, sed declarandi Provincias, in quibus debeant uti cibis Quadragesimalibus, ac servare consuetudinem, & in quibus non; eo modo, quo declaravit cum Monialibus, nullam exprimens culpam, ut patet in *num.* 2837.

2865. Quarto, ex Melphi in *Comp. cap. 3. tract. 13. quæst. 2.* qui commutatio præfatum statutum de *num.* 2855. adducit facultatem, & verba Eugenii IV. *num.* 2864. quibus immediate addit: *Circa quorum verborum seriem, notandum primò, fundari declarationem* (supple tu Eugenii IV.) *in jure communi, quo non præcipitur abstinere ab usu ovorum, & lacticiuniorum extra Quadragesimam, id est, præcisâ consuetudine, cessat omnis obligatio.* Ex quo infero, nec statutum esse declaratorium Regulæ, nec Eugenium concessisse facultatem Capitulo Generali condendi statutum obligans ad culpam mortalem; aliis non bene concluderet Melphi, nullum esse jus obligans; quia esset jus Regulæ, & Statuti Ordinis.

2866. Caterùm hoc gratis dato, omne tollit

dubium Bulla Sixti IV. *num.* 2831. relata, quæ discernit, statuta, consuetudines, vel declarationes Ordinis præter Regulam, etiam Autoritate Apostolica roborata, non obligare sub culpa mortali, aut censura: ibique derogat omnes Constitutiones, etiam Apostolicas in contrarium. Unde facultas Eugenii, gratis dato, quod esset data Capitulo ad declarandam Regulam, nullius esset roboris, quia cum fuerit prior Sixto IV. per annos quadraginta, fuit expressè derogata per Bullam Sixti, quam amplectitur tota Religio cum suis expositoribus, Melphi *cit.* Miranda, Port. & alii apud ipsum, ac demum Corduba in *Introductione, q. 6. §. Sed & notandum.* Vide *num.* 151.

2867. Cum igitur constet, Franciscanos non teneri sub mortali ex jure communi Ecclesiæ, aut Regulæ, ad abstinentiam ab ovis, & lacticiinis, in jejuniis extra Quadragesimam, videndum manet, an teneantur ex consuetudine.

2868. Et non teneri ex consuetudine, probatur, quia consuetudo, ut obliget sub mortali, debet esse introducta animo se obligandi ad mortale, ut ex *num.* 240. Ita ut si de hujusmodi animo non constet, standum sit pro libertate, ex *num.* 43. Tamb. *tom. 1. de Jejunio, lib. 4. cap. 5. §. 1. num. 22. & comm.* Id autem non constat de consuetudine, de qua est sermo.

2869. Non dicas, non posse aliud assignari motivum hujus introductæ consuetudinis, nisi animus se obligandi; motivum namque fuit fervor devotionis.

Probatur 1. quia in Franciscanis ligatis viginti-quinque præceptis obligantibus ad mortale, nulla consuetudo potest rationaliter præsumi introducta animo se obligandi ad mortale.

2870. Hinc ipse Melphi in *Comp. cap. 2. stat. 71. q. 1.* plures refert consuetudines in nostro Ordine, quas (ait) non debere præsumi esse introductas animo se obligandi ad mortale: & inter alia docet cum Miranda in *Reg. cap. 56. dist. 2.* & Corduba, non peccare mortaliter Fratrem Minorem, dormiendo sine habitu, non oblante consuetudine in contrarium, & Statuto, *cap. 2. §. 9. num. 13.* à Nicolao III. & Julio II. confirmato: *Qui sine habitu, capucio, chorda, & femoralibus, nisi causa infirmitatis, de consilio Medici, & licentia Superioris, dormierit, coram Fratribus capitulariter congregatis laqueos injicere, à quibus illos possum, & debeo extricare: Dico, hanc consuetudinem non obligare ad peccatum mortale.*

Quod docet his verbis: *Facit quidem mihi maximam vim ista perpetua, & sollemnis consuetudo, quam sanctam rectam semper Minorica Religio conservavit. Quia tamen nolo aliorum congregatis laqueos injicere, à quibus illos possum, & debeo extricare: Dico, hanc consuetudinem non obligare ad peccatum mortale.*

Unde concludit prædictam consuetudinem, & relatum statutum importare debitum honestatis, minimè necessitatis, videlicet peccati mortalis. Quam doctrinam firmat autoritate Bullæ Sixti IV. *suprà.* & in

in *num.* 2831. relata, quæ statuit, statuta, & consuetudines nostri Ordinis, etiam autoritate Apostolica roborata, non obligare sub culpa mortali, aut censura.

(Nec valet dicere (subdit idem) quod putent se peccare mortaliter, aliter operantes, quia hic timor ex ignorantia procedit, vel conscientia scrupulosa) *vide num.* 486.

Quæ omnia militant pariter in re nostra de consuetudine abstinenti à lacticiinis in jejuniis extra Quadragesimam.

2871. Secundò, quia in jejuniis quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ à Præcepto Ecclesiæ præscribuntur, adest consuetudo abstinenti à lacticiinis; & tamen non dicitur introducta animo se obligandi; & tamen non dicitur devotionis. Ita Pasqualigus, gandi, sed ex fervore devotionis. Ita Pasqualigus, Navar. Sanchez, Diana, Tambur. & innumeri alii apud Leandrum à Sanctissimo Sacram. de *Præc. Eccl. tit. de Observat. Jejunii, tract. 5. dist. 3. q. 5.* Cum autem præcepta, & jejunia Ecclesiæ, ut docet Corduba cum ceteris Expositoribus, quos sequitur Longus *cap. 3. contr. 9. sect. 4. num. 3.* ideo sequitur, quod sicut consuetudo in jejuniis Vigiliarum, & quatuor Temporum non dicitur introducta animo se obligandi, sed ex fervore devotionis; idem dici debet de consuetudine jejuniorum nostræ Regulæ extra Quadragesimam.

2872. Tertio, quia etiam in Dominicis Adventus est consuetudo in nostra Religione abstinenti à lacticiinis, non minus quam diebus jejunii; & tamen nullus dicit, quod sit introducta animo se obligandi, sed ex fervore devotionis; igitur, &c.

2873. Quarto, demum constat ex ipsis verbis Bullæ Sixti IV. ubi Pontifex refert petitionem, in qua per Fratres fuit expositum, quod plures erant declarationes, constitutiones, & consuetudines præter Regulam, fervore devotionis factæ, &c.

Hinc Doctores *num.* 2871. citati, & ex nostris Villalobos, & Leander de Murcia, *quæst. 9. super cap. 3. Regule S. Francisci*, docent, universaliter in jejunii extra Quadragesimam, cujusmodi sunt jejunia Adventus, & Ferie sextæ, consuetudinem abstinenti à lacticiinis non esse introductam animo se obligandi, sed ex fervore devotionis.

2874. Et noster Portellius, *verb. Jejunium, in addit. num. 7.* concludit: *Est probabilior opinio, neque de jure, neque de consuetudine interdicti in die jejunii lacticiinia extra Quadragesimam.*

2875. Quod si petas: Quomodo stante clara declaratione Sixti IV. contra consuetudines, Expositores moderni, *num.* 2853. citati dicant, quod in abstinentia à lacticiinis in jejunii extra Quadragesimam standum sit sub mortali consuetudini Religionum?

Huic petitioni nolo ego respondere, sed solum refero responsum, quam dat Corduba in *Introductione Regulæ, q. 6. pag. mibi 33. & 34. vers. Sed,*

& notandum, quod Sixtus IV. in *Privilegio Circumspectæ.* Ubi postquam refert allatam declarationem, & dispositionem Sixti IV. & alias Nicolai III. Clem. V. & Joan. XXII. hæc habet:

(Patet etiam ex dictis, quod de Doctoribus aliquibus, seu Expositoribus Regulæ, aut de eorum dictis non est curandum, quomodo contra aliqua contenta in prædictis tribus declarationibus Nicolai III. & Clement. V. & Joan. XXII. Quorundam exigit, affligi loquantur; quia aliqui eorum, utpote Bonaventura, Hugo, & quatuor Magistri, & alii, fuerunt antea prædictas declarationes. Idem non mirandum, si aliter aliquando loquantur, antequam esset per Ecclesiam aliter dispositum, aut declaratum.)

Alii autem Doctores fuerunt post prædictas declarationes, & fortè ex inadvertentia, sequendo priores Expositores, aliquando aliter loquuti sunt contra prædictas declarationes. Ideo, ut dictum est, de eis non est curandum contra prædictas declarationes, quæ habent primum locum, ut patet ex dictis hic, & in quæstione præcedenti.)

COCHOLATAM

2876. Jejunium non frangere, absque ulla limitatione tenent Thom. Hurrad. & quamplures Doctores, apud Tamb. *tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 2. à num. 9. ad 14.* Dianam, & Leandrum citandos; quia habet rationem potus: is accedit consuetudo, & timoratorum usus sine scrupulo.

2877. Mihi tamen valde placet sententia Leandri de *Præc. Eccl. tract. 5. disp. 5. q. 5.* Dianæ *p. 11. tract. 6. ref. 53.* Regimii, & Escobar apud ipsos. Nimirum cocholatam non frangere jejunium, si id, quod est cibi, misceatur aquæ in minori quantitate, ita ut aqua prædominetur, v. gr. si sex uncias aquæ misceatur uncia unica cum dimidio cocholatæ, & media uncia saccari: frangere verò jejunium, si id, quod est cibi, misceatur aquæ in æquali, aut majori quantitate, ita ut prædominetur cibus. Ratio non desumitur ex parvitate materia, aliis in primo casu cocholata non posset semel sumi sine veniali, nec pluries eodem die sine mortali, ex *num.* 2843. sed ex ratione potus, & cibi; nam cocholata primo modo habet rationem potus, quia prædominatur potus; secundo modo habet rationem cibi, & comestionis, quia prædominatur cibus. Tùm quia tunc valde opponitur fini præcepti, qui est maceratio carnis; nam tunc cocholata est præ cæteris cibis nutritiva, & elevativa spirituum vitalium.

2878. Idem dico de aqua dulci, vulgò sorbetta.

2879. Prima autem opinio de cocholata ob autoritatem extrinsecam gravissimorum Doctorum, & timoratorum consuetudinem censetur probabilis.

2880. Pinguedo, nempe sagimen, & lardum computantur inter ova, & lacticiinia. Diana *part. 1. tract.*

tract. 9. ref. 21. & plures apud ipsam. Quibus accedit consuetudo Regni Siciliae.

2881. Qui in Quadragesima comedit ova, aut lactinia, peccat quidem, si non habeat Bullam, aut necessitatem; sed non frangit jejunium: unde tenetur ad jejunium; quia lactinia prohibentur præcepto distincto à præcepto jejunii, ac proinde dicuntur stare cum jejunio. Vide num. 2857.

DIFFICULTAS EST DE CARNIBUS.

2882. An scilicet dispensatus ad carnes, sit dispensatus à jejunio?

Affirmat Diana part. 1. tract. 9. ref. 25. Filliuc. Tamb. & innumeri alii; quia non potest quis esse obligatus ad aliquid, ad cuius essentiam non obligatur; adeoque, cum abstinentia à carnibus sit de essentia jejunii, ut patet ex ejus definitione, num. 2813. sequitur, quod non obligatus ad abstinentiam à carnibus; qualis est dispensatus à carnibus, non fit obligatus ad jejunium. Quam rationem insolubilem vocant.

2883. Respondeo cum distinctione: dispensatus ad carnes ob debilitatem virum, & ad eas recuperandas, est dispensatus à jejunio; minime, si est dispensatus ad carnes, quia cibi jejunii sunt ei nocivi. Rodrig. in Summ. cap. 24. Angles, Bonac. & alii.

Ratio est, quia in primo casu habetur necessitas duplicis comestionis, non sic in secundo. 2. Quia ex cap. Cum dilecti, de dolo, & contumacia, dicitur, quod præceptum Ecclesie licet non possit in totum servari, sit servandum in parte, quæ potest servari.

2884. Non obstat ratio in oppositum. 1. Ex absurdo sequeretur enim ex illa, quod dispensatus ab unica comestione ob longum iter, esset dispensatus ab abstinentia à carnibus; quia non minus est de essentia jejunii unica comestio, quam abstinentia à carnibus. 2. Ex ratione, quia jejunium est unum per aggregationem, & præceptum divinum includens duo præcepta distincta, unum de unica comestione, alterum de abstinentia à carnibus; unde si cessat obligatio ab uno, non cessat obligatio ab alio nisi adsit pro utroque necessitas. Vide quæso insolubilitatem rationis opposita, Vide num. 454. 455. 2846.

* Hæc jam nunc pro tota Ecclesia à Benedicto XIV. expressè definita sunt, cujus Bullas vide in Appendice pag. 80. & 81. *

DE COLLATIONE.

2885. Collatio, seu refectiuncula vesperè faciendâ, ex consuetudine ob virium debilitatem, & ob somnum capiendum introducta, atque à Sancta Matre Ecclesia benignè permilla.

2886. Ex consuetudine, & praxi timoratorum sumi possunt uncie octo cibi. Angles, & Maltrius dicunt, quantitatem remittendam esse prudentiæ particularium, juxta diversitatem complexionum, permittuntur pro collatione fructus, legumina, & alia

ex saccharo, ac melle confecta. Bonæ, cum pluribus vult, in collatione non tam attendendam esse qualitatem, quam quantitatem. Permittitur unus, vel alter pisciculus parvus, & parum casei. Omnino tamen abstinentium est ab ovis; quia ova sunt valde nutritiva, & carni affinia, utpote carnis semen, adeoque collationi repugnant; unde contraria opinio est contra bonos mores, & scandalosa.

2887. In Vigilia Nativitatis Domini, & Paschatis sumi potest collatio duplè major ratione lætitiæ. Leander de Jejun. tract. 5. disp. 4. q. 15. & 18. Tamb. verò tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 3. num. 7. id quoque absolute affirmat de Vigilia Nativitatis, sed Vigilia Paschatis tantum ubi est consuetudo introducta.

2888. Quantitas cibi in collatione permilla potest permisceri cum vino.

QUÆRES:

2889. An possit quis quantitatem permiscam, nempe uncias octo panis in aqua, aut alio liquore non vitium coctam pro collatione sumere.

Negat Fillic. tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 37. quia coctio notabiliter transmutat aquam, ut ex illa, & pane fiat unus cibus solidus, adeoque aqua haud amplius retinet rationem potus, sed cibi, quod non facit pura mixtio panis cum vino sine coctione.

Affirmat Diana part. 9. tract. 6. ref. 29. Leander de Jejun. tract. 5. disp. 4. quest. 35. & plures apud illos: quia aqua etiam post coctionem cum pane semper remanet liquor, & vehiculum alimentum. Tùm quia non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem, quod in refectiuncula attenditur; adeoque sicut possunt pro refectiuncula sumi seorsim, ita simul post coctionem.

Esobar cum aliis media via incedens, concedit posse licet pro refectiuncula sumi ex pane cocto uncias duodecim, quia ille excessus ponderis, cum proveniat ex aqua, est exigui nutrimenti. Quæ opinio magis mihi placet, quam quæ absolute affirmat, quia ut ait Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 3. n. 2. tota quantitas panis cocta cum aqua, licet non plenè nutriat, plenè satiat, quod etiam in refectiuncula attenditur.

CAUSÆ EXCUSANTES

2890. **A** jejunio sunt, Impotentia, Labor, & Pteras. Ob Impotentiam quis excusatur, quoties ex jejunio adest periculum notabilis damni. Hinc excusatur, 1. Juvenes, qui 21. ætatis annum non compleverunt, quia ratione incrementi majori indigent alimento; qui tamen eorum curam habent, curare debent, ut in Quadragesima jejunent ter, aut bis in hebdomada, idque ex consilio, ut ad jejunium instruantur; ad abstinentiam verò à carnibus obligantur omnes post annum septimum.

2891. 2. Excusantur Sexagenarii incepto anno sexagesimo, licet appareant robusti; quia tunc in re

vi-

vires declinant quoniam senectus ipsa est morbus. Tenentur verò abstinere à carnibus.

2892. Religiosi Franciscani obligantur sub mortali à die professionis, etiam ante annum 21. ad jejunia Regula, nempe Adventus, Quadragesimæ, & Ferie 6. minime ad jejunia vigiliarum, & quatuor temporum, quia de his Regula non loquitur. Sexagenarii verò ab omnibus jejunii excusantur. Ratio est, quia pro juvenibus magis habet locum pietas, & privilegium, cui per professionem voluntariè cesserunt; pro senibus vero magis, & totalem habet locum necessitas. Idem dic de jejunio perpetuo ex voto, quia licet votum obliget secundum intentionem voventis, per accidens deobligari potest vovens ratio, quia licet votum obliget secundum intentionem voventis, per accidens deobligari potest vovens ratio necessitatis, & incapacitatis subjecti. Leander de Jejun. Port. verb. Jejun. num. 5.

2893. 3. Pauperes, qui non habent sufficientem cibum pro justa refectiuncula; vel qui alium cibum non habent, nisi vitium, nempe carnes, aut ova: * Post Benedicti IV. Bullas ad servandam jejunii formam obligantur. * quia benigna Mater Ecclesia non intendit tota die ad panem, & aquam, & pauca legumina illos adstringere, aut alimentum viribus sustentandis necessarium subtrahere. Arfdekin, ex Diana.

2894. 4. Infirmi convalescentes, prægnantes, lactantes, & alii, qui ad necessarias vires majori indigent alimentum. Qui ex stomachi vacuitate patiuntur capitis dolorem, aut vertiginem. Item qui nocte dormire, aut calefieri nequeunt; qui tamen possunt, tenentur incommodo obviare, faciendo collationem mane, & comestionem vesperè. Ita Arfdekin. Sed non possunt comedere carnes.

2895. Labor excusat, non omnis, sed si sit talis ut judicio prudenti sit incompatibilis cum jejunio; alioquin non aderit necessitas; & à jejunio non excusat, nisi necessitas.

2896. Hinc excusantur Fabri Ferrarii, Cæmentarii, Lignarii, Fossiores, & similes exercentes artes laboriosas. Non excusantur autem exercentes artes sedentarias, aut quæ non tantam corporis agitationem requirunt, ut jejunio resistere non valeant; hujusmodi sunt Sartores, Suores, Tonsores, Pistores, & similes. Vide in pag. 3. propos. 30. ab Alex. VII. damn.

2897. Leander de Jejun. disp. 8. q. 154. 155. & 156. cum aliis docet, defatigatum ex labore voluntariè assumpto, v. gr. lusu pileæ, vel etiam ob inhoestum finem, quia v. gr. pluries rem habuit cum muliere, cum prævisione futura impotentie ad jejunandum, nedum non teneri ad jejunium, sed neque peccasse in casu, contra præceptum jejunii. Imò Arfdekin tom. 2. pag. 313. citans pro se Dianam part. 1. tract. 9. ref. 40. id tenet, * sed valde quam laxè * etiam defatigatio fuerit facta in fraudem jejunii; quia ille intendit solum se ponere in statu, qui est extra obligationem jejunii. Quod confirmat, ex eo, quod ad evitandum jejunium, aut additionem Sacri, potest quis transire ad alium locum, ubi jejunium non obligat, aut festum non celebratur.

2898. Hæc autem opinio semper mihi visâ est

nimis laxa; quia præceptum, quod formaliter præcipit, aut prohibet aliquem actum pro certo tempore, virtualiter prohibet pro eo tempore omnia opera impossibilia cum impletione præcepti. Ac proinde,

2899. Dico: quando defatigatio, v. gr. usus pileæ est assumpta tempore remoto à die præcepti jejunii, nec tenesis ad jejunium, nec peccas in causa: quando verò est assumpta tempore proximo diei præcepti, non teneris ad jejunium, nec peccas non jejunando, quia es factus impotens; peccasti tamen in causa contra præceptum jejunii; quia præceptum jejunii est moraliter præsens, adeoque virtualiter obligat ad non ponendam, sed vitandam impedimentam, à quibus commodè abstinere potes: multo magis, si defatigatio est assumpta eodem die præcepti; non sic in primo casu; quia præceptum non est moraliter præsens, sed remotum. Vide num. 2804.

2900. Quod si non esset verum, sequeretur, quod si quis tempore, quo præceptum auditionis Sacri est præsens, assumeret opus incompatibile à quo commodè abstinere posset, omisso Sacri non esset peccatum, nec in se, nec in causa ob eandem rationem.

2901. Exemplificatur assertio: si die Veneris, & secundum alios die Sabbati egrediaris ad venandum in nemore valde ab Urbe remoto, ubi opportunitas audiendi Sacrum non adest, ac inde prævidas futuram omissionem Sacri die Dominico, non eris reus omissionis Sacri, & peccati: non quidem in ipsa omissione, quia die festo reperis impotens; neque in causa, quia tunc non obligat præceptum ad non ponendam causam impeditivam: non enim erat actu, aut moraliter præsens, & sic non urgebat de proximo. Si verò egrediaris sero Sabbati, aut aliquibus horis ante mediam noctem Dominicæ, reus eris peccati omissionis Sacri in causa; quia judicio prudenti, cum non censeatur moralis distantia à die Dominico, præceptum audiendi Sacrum, tunc censeatur moraliter præsens, & consequenter de proximo urgens ad non ponendam causam omissionis futuræ de proximo. Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 3.

2902. Hæc dicta sunt de operibus, à quibus commodè abstinere possumus: nam ut ritè Cajet. docet: Non tenetur quis ob præceptum jejunii omittere opus, ad quod incumbit obligatio saltem notabilis.

2903. Quantum ad advenas, & viatores, dico, eos non teneri legibus, & consuetudinibus particularium locorum, nec inde ad jejunia locorum; per quæ transeunt, non animo ibi habitandi majori parte anni, nisi adsit scandalum, aut nisi sint universalia, ut à num. 162. ad 164. in 2. tom. num. 206. & supposito, quod sint veri viatores; à peccato enim in causa eos non excuso, si id faciant in fraudem præcepti ut illud declinent, ut in simili dixi in tom. 2. num. 212. posset enim quis volens à jejunio se liberare, die 23. Julii, quo Panorini fit jejunium vigiliæ D. Jacobi, accedere Montem-Regalem, & non jejunare.

Li 2

re,

re, quia ibi non fit jejunium eo die, & ipse est advena; sequenti vero, quo ibi jejunatur, redire Panormum, nec jejunare, quia hic ratione festi non jejunatur eo die: quis autem major dolus, & collusio præcepti?

2904. Et quamvis Diana *part. 1. tract. 9. ref. 19. & tract. 10. ref. 14.* & plures Doctores, quos refert Tamb. *tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 12.* id teneant, dicentes, quod non peccet quis, se, nedum die antecedenti, sed etiam, si eodem mane jejunii, aut festi, à loco jejunii, aut festi, ad alium se transferat, etiam ex industria, ut à jejunio, aut auditione Sacri, & abstinentia à servilibus se liberet; hac ducti ratione, quia obligatio jejunii extenditur ad totum diem, & obligatio auditionis usque ad meridiem, & usque ad meridiem potest differri, ac proinde intra illud tempus possit quis uti jure suo, & ad alium locum pergere, ubi non est obligatio, & sic ab ea se liberare.

2905. Nullo pacto volo huic opinioni adhærere, sed eum peccare, affirmo cum Rodrig. in *sum. tom. 2. cap. 219. num. 2.* Ledesma, Emman. Sâ, Fernandez, & aliis apud Dianam, & Tamb. *cit.*

Mea resolutio maximè firmatur paritate de absolutione à casibus reservatis desumpta ex Bulla Clem. X. *Superna*, de anno 1670. ubi in §. 6. decretum:

(Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non idè à casibus Episcopo reservatis, posse absolvere. Possent autem Regularem Confessorem in ea Dicecesi, in qua est approbatus, consultantes ex alia Dicecesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Dicecesim pro absolutione obtinenda migrasse.)

Ubi industria accessus ad alienam Dicecesim ob finem absolutionis à reservatis, dicitur fraus, ita in re nostra. Unde

2906. Ratio intrinseca est; quia licet quantum ex se quis possit uti jure suo, & sic v. gr. uno die accedere Panormo Montem-Regalem, altera die Montem-Regali redire Panormum; nemo tamen habet jus utendi actu in fraudem legis, quia jus nostrum est subordinatum legi, ex *num. 42.* Et ex jure, ex dictis supra *num. 754. fraus nemini patrocinatur.*

Unde, cum eo die urgeat Panormi præceptum commune de jejunio Vigiliæ Apostoli, non potest quis uti jure accedendi Montem-Regalem, & inde die sequenti, quo urget ibi, recedendi ex industria, quod idem est ac in fraudem jejunii; quia jus hominis debet cedere legi.

2907. Opinioni Dianæ adhæreo, si talis accessus, & redditus fiat ex vera causa, ut sequitur ex eadem paritate ex Bulla Clem. X. desumpta. *Vide num. 163. & 164.*

2908. Excusantur à jejunio *itinerantes*: pedester per majorem diei partem, seu per duodecim

millaria Diana in *sum. verb. Jejun. num. 31.* Non excusantur, si equitando confectum unius diei iter conficiant; bene verò si negotio coacti valde excedens iter conficiant, aut si per plures dies continuatose equitent, ut inde prævideant vires debilitandas. Leander de *Jejun. disp. 8. q. 101. Vide pag. 3. prop. 31. ab Alex. VII. damn.*

2909. Pietas tamen excusat, quoties opera pietatis, & misericordiæ, tam corporalis, quam spiritualis cum jejunio sine gravi incommodo perfici non possunt. Hinc excusantur Concionatores Quadragesimæ: minimè qui in solis Dominicis concionantur, nisi sint valdè debiles: Lectores, & Præceptores, quorum labor est nimius, aut complexio debiliior: Confessarii debiles, & suo muneri assidui: Cantores, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles. His Sanchez concedit in Quadragesima ova ad vocem servandam: *scriba* qui tota die ex officio scribunt; qui tamen debent suas vires conficere, an vigeant.

2910. Cæterum, tam cum præfatis, quam in dubiis, omnes tollit scrupulos Superioris dispensatio. *Vide num. 232.*

Scotus in 4. *dist. 8. quest. 3. lit. B.* Maftrius in *Theol. Mor. disp. 12. q. 1.* Joan. la Cruz *3. præc. art. 4.* Bonacina *tom. 2. de Præcept. Eccles. disp. ult. quest. 1.* Tamb. *tom. 1. lib. 4. cap. 5.* Leander de *Præcept. Eccl. disp. tract. 5. Busemb. lib. 3. tract. 6. cap. 3.* Fenech. Clericatus *cap. 110.* Mendo *verb. Jejunium.*

DE III PRÆCEPTO ECCLESIAE.

Confiteri semel saltem in anno, & communicare in Paschate.

2911. **Q**uilibet fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, sub mortali confiteri tenetur semel saltem in anno: sufficit, si confiteatur in Paschate: quod si tunc non faciat, debet postea, ut verum sit, quod confiteatur semel in anno. Item tenetur quis præcepto divini confiteri. 1. In articulo, aut periculo probabili mortis. 2. Si prævideat postea non habiturum copiam Confessarii. 3. Si fit in mortali, & velit communicare. De quo fuscè in *tom. 3. à num. 279.*

Si non habeat mortale, non ligatur hoc præcepto, quia non tenetur confiteri venialia; unde sufficit, si se præsentet Confessario dicens, sed non habere materiam necessariam. *Vide num. 187.*

2912. Qui solum habet Confessarium igratum sui idiomatis, non tenetur confiteri per interpretem ad satisfaciendum præcepto; bene vero in articulo mortis: quia tunc tenetur sibi providere tutori, & meliori modo, quo potest. *Vide num. 395.*

2913. Nomine anni per Brancatum, & de Lugo venit annus naturalis computandus à Januario. Per Bonacinam, & Maftrium venit annus Ecclesiasticus ab uno Paschate ad aliud.

Scotus

Scotus in 4. *dist. 17. lit. E. M.* Maftrius in *Theol. Mor., disp. 12. q. 2. art. 2.* Tamb. in *Meth. Confess. & in Meth. Comm. lib. unic. cap. 4. §. 3.* Joan. la Cruz *de Sacram. Pœnit. q. 3.* Busemb. *lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 2.* Leander de *Præcept. Ecclesie.*

COMMUNIO

2914. **E**ST duplex, spiritualis, & Sacramentalis. Spiritualis est, quæ fit per votum, & desiderium efficax Eucharistiam suscipiendi. Sacramentalis est, quæ fit per realem Eucharistia assumptionem. Ex D. Bonavent. in 4. *q. 9. c. 2.* Communio spiritualis est, manducatio spiritualis Eucharistia, quæ fit ore cordis per recognitionem fidei, & affectionem charitatis. Communio sacramentalis est manducatio corporalis Eucharistia, quæ fit ore corporis.

2915. Qui facit Communione spiritualem debet esse in gratia, saltem per contritionem, nam desiderare efficaciter communicare in statu peccati mortalis, est mortale. In præsentem est sermo de Communione sacramentali.

2916. Hoc præcepto Ecclesiastico quilibet fidelis sub mortali tenetur ab anno saltem pubertatis Eucharistiam semel sumere in Paschate à Dominica Palmatum usque ad Dominicam in Albis inclusivè in sua Parochia, aut Cathedrali. *Vide num. 187.*

2917. Qui non communicaverunt in Paschate, tenentur postea quamprimum commode possunt communicare eodem anno; quia tempus Paschatis non est appositum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem.

2918. Potest Confessarius justa de causa suo pœnitenti tempus communicandi post Pascha differre; & tunc tenetur pœnitens ex vi ejusdem juxta Confessarii dilationem communicare.

2919. Vagi, Peregrini, & Advenæ possunt ubi libet intra præfatum tempus præcepto satisfacere.

2920. Die Resurrectionis, aut Jovis Sancti possunt fideles ex devotione communicare in qualibet Ecclesia, dummodo intra illud tempus unam Communione faciant in Parochia, aut alibi de licentia Parochi. Tamb. *tom. 2. pag. 430. num. 48.*

2921. Tenetur Ægrotus ex præcepto divino in periculo vitæ constitutus Eucharistiam sumere per modum Viatici, Medicorum judicio, etiam non jejunus.

2922. In eadem infirmitate, & periculo potest pluries Viaticum sumere, dummodo saltem decem, aut quindecim dies intercedant. At non potest pluries Sacramentum Extremæ Unctionis recipere; quia Eucharistia est Sacramentum refectiois, & nutritionis spiritualis, qua homo potest pluries indigere, non Unctio. Si verò infirmus convalescit, & postea denud infirmetur, & in alio vitæ periculo constituitur, denud potest Extremam Unctionem recipere.

2923. Qui manè ante periculum ex devotione communicavit, si superveniat periculum, tenetur eodem die per modum Viatici communicare; ut satisfaciat præcepto divino.

2924. Perpetuò amentibus sicut non potest concedi Communio, ita neque Viaticum. E converso semitatis, folidis, freneticis, sicut potest concedi Communio, si non sit periculum vomitus, indecentiæ, aut irreverentiæ, ita debent dari Viaticum. Item die de amentibus, si intervallum rationis habeant.

2925. Pueris intra latitudinem decimi, & quattidecimi anni debet dari Viaticum, sicut datur Extrema Unctio.

2926. Item possunt, imò debet communicari pueri novem, aut decem annorum, si super mysteriis Fidei, & Sacra Communione sint plenè eruditi, & de reverentia debita non dubitentur. *Vide n. 278.*

2927. Potest quis communicare ante peractam pœnitentiam sacramentalem; sufficit enim, quod sit in gratia. *Vide in pag. 7. Prop. 22. & 23. ab Alexand. VIII. damn.*

2928. Pollutio nocturna involuntaria per se non impedit Communione, nec copula conjugalis nocte præcedens, nisi reliquerit mentem perturbatam, & spiritus sensuales valde commotos; quo etiam præciso, consultus est Communione differre.

Copula verò fornicaria impedit, nisi aliud necessitas, aut rationabilis causa poscat; ut si Sacerdos sit obligatus ad celebrandum, aut sit Jubilæus lucrando, &c. & licet post patratum grave peccatum, debeat quis eo die à Communione abstinere, ut alio die cum majori reverentia, & decencia, accedat; si tamen positus in gratia per Confessionem eodem die communicet, non peccat mortaliter.

2929. *Quantum ad effectus*, Sacramentum Eucharistia, 1. Dat per se augmentum gratiæ, per accedens verò aliquando dat primam gratiam sanctificationem, ut si quis bona fide putans, se esse in gratia, in qua revera non est, accedat cum attritione ad hoc Sacramentum, recipit primam gratiam, & peccatorum remissionem. 2. Dat auxilia ad vitanda peccata, ad resistendum tentationibus, & concupiscentiam refrænat. 3. Delet venialia. *Vide in pag. 5. Prop. 56. ab Innoc. XI. damn. Vide in tom. 3. de Sacrif. Miss. præsertim à n. 279. Vide in eodem tom. 3. n. 230.*

QUÆRES:

2930. Parochus accessit ad communicandum infirmum, qui ei dixit se velle confiteri: Confessus est duo peccata contra legem naturæ, subdens, se tantum se accusare, & dolere de illis, minimè de peccatis contra legem gratiæ, sed protestatus est, se non credere Sacramentum: & monitus ne respoñderet, noluit. An Parochus debeat eum communicare?

Videtur, quod sic ad vitandam infamiam apud

adstantes, qui cum tenent Catholicum.

Dico, nullo pacto debere, aut posse. Primò,

quia in tali casu Sacerdos non tenetur ad sigillum Sacramentale, nam illa non est Confessio, non est enim accusatio in ordine absolutionem sacramentalem, quia ille non credit Sacramento Pœnitentiæ, sed Confessionem assumit, ut medium ad vitandam

in-

infamiam apud adstantes. Secundò quia non debet frui privilegio fori, qui forum recusat. Tertio, quia Parochus Sacramentum Eucharistiæ nedum periculo contemptus formalis exponeret, sed certò morali periculo traderet: contra autem contemptum formalem Sacramenti clamat Jus Naturale, Divinum, & Canonicum, quod prævalet juri naturali famæ infirmi. Non est enim bonum, panem Angelorum dare canibus.

Quartò, quia jus, quod haberet ad famam, esset tantum jus naturale, cui prævaleret jus fidei, *ex tom. 2. num. 261.* Hinc Parochus teneretur eum revelare, utpotè hereticum formalem; quia jus naturale non excusat à denunciando hæreticum formalem, *tom. 2. num. 280.* Quod dico, etiamsi hæresim nunquam antea externaverit; nam externatio illa fuit facta animo hereticali, non enim erat paratus corrigi. *Vide tom. 2. num. 282.*

Eadem ratione, si ancilla Turca fingens apud suos dominos se Christianam, accedat ad Confessarium petens absolutionem, ne manifestetur, Confessarius non potest eam absolvere, nec tenetur ad sigillum sacramentale; quia Confessio illa non est sacramentalis; eo maxime, quia mulier illa non habet Baptismum, qui est janua omnium Sacramentorum.

Scotus in 4. *dist. 9. quest. unic. lit. A. B. C. D. Mastrius in Theol. Mor. dist. 12. q. 2. art. 3.* Tamb. in *Meth. Com. præcipue, cap. 4. & seqq.* Joan. la Cruz de *Euch. q. 5.* Bulemb. *lib. 6. tract. 3. cap. 2. art. 3.* Leander de *Præc. Eccl. Clericatus cap. 111.*

DE COMMUN. QUOT IDIANA

A Gunt D. Bonavent. in 4. *dist. 12. q. 2. & Scotus in 4. dist. 24. q. unic. lit. K.* Insuper adest Decretum tenoris sequentis:

DECRETUM.

SAC. Congr. Card. Sac. Concil. Trident. Interpretum de mandato Innoc. XI. circa Communionem quotidianam, & Confessionem venialium.

2931. Cum ad aures Sanctissimi D. N. fidedignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diocæsihus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceve, & simul affirmari, eandem quotidianam Communionem præceptam esse à Jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea thesa includam in crumena, aut fererò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares: aliique in Communionem accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commis-

serit Sac. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem Sacra Congregatio, prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens, quotidianive Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illum percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Misis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ et contra gratiæ, & Dei dona parvulus concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possumus; nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constiui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu, Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum salutis profuturum, id illis præscribere debent. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seridè admonent, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiarum vacandum, puriorique mente ad Cælestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotididè accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & preparationis modò rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis suavitatem degullet. Itidem Moniales quotididè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ verò puritate mentis enteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, operæ quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem

nem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiore, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant Cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diocæsihus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicii temperamento, alere debent, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentia parendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in summentibus augeantur: Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in Cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sac. Congr. ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.

2932. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de Jure Divino: doceant, in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad exsistentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valcant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualiis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

2933. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur.

2934. Insuper admonent, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.

2935. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

2936. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes fecus egerint, sciatur Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque desitutam Episcoporum, & Ordinariorum justitiam, ac rigorosam animadversionem in contrascentes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, fa-

cultate ipsi Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. CARD. COLUMNNA PRÆF.

S. Archiep. Bramac. Ep. Viterb. Secr.

Die 15. mensis Febr. 1679. suprad. Decr. affixum, & publicatum fuit, &c.

DE IV, & V PRÆCEPTO ECCLESIAE.

Non celebrare Nuptias tempor. prohib. Solvere decimas.

2937. **N**uptiæ, seu matrimonia, ex Trident. sess. 24. cap. 10. prohibentur fieri ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschalis inclusivè. Dicitur autem temporibus solum prohibentur solemnitates nuptiarum, adeoque possunt in illis sponsalia, ac matrimonia sine solemnitate celebrari, non tamen sine licentia Ordinarii. Item possunt in illis matrimonia antea contracta consumari; solum namque est prohibita solemnitas, & publica benedictio in Ecclesia. Mastrius *disp. 20. q. 2. num. 89.* Bonac. & alii. Clericatus *cap. 112.*

DECIMA

2638. **E**ST, quæ a bonorum debita Ministris Ecclesie in ipsorum subsidium, & sustentationem.

Solutio decimarum est facienda ex fructibus omnium rerum juxta locorum consuetudinem, que solet esse diversa. Obligat sub mortali, & ad restitutionem, nisi impotentia excuset, quia sit ob Ministrorum Ecclesie laborem ad fidelium utilitatem applicatorum, atque in recognitionem supremi domini Dei.

2939. Non solvere decimas propriè non est sacrilegium; quia non est violatio rei sacræ; nam decima est usus rei temporalis ex iustitia de bitis contrahit tamen ultra malitiam injustitiæ, malitiam irreligiositatis, seu irreverentiæ contra Deum; quia ut advertit D. Thom. 2. 2. *quest. 87.* soluti decimarum est præcepta, & fit ob duos titulos, nimirum in sustentationem Ministrorum Ecclesie, & in recognitionem supremi domini Dei; ac proinde qui eas non solvit, duas malitias contrahit, injustitiæ contra iustitiam commutativam, & irreligiositatis contra Religionem.

Mastrius *disp. 12. q. 2. art. 4.* Leander de *Præc. Eccles. tract. 6.* Clericatus *cap. 113.*